



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Effoetus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Milleuarii numeri & aliorum nota.

in marmoribus inspicitur, hac fuisse figura, duo millia vero sicilicis ad rectam lineolam duplicatis tria millia, triplicatis quaterna millia, quadruplicatis Præteribo millenarium, quod id signum & à Prisciano & aliis agnitum plerisque locis in conspicuo est. Duo millia, Mediolani videas in hortis qui olim Zichi Simonetæ fuerunt, porta Comensia, ea inscriptione, cujus initium est, C. VALERIUS C. F. O. V. F. & quæ sequuntur. Cai fil. ob votum fecit. Denique

**HS.** ARBITRATU VALERIE C. F. SORORIS. & Ravennæ apud Petrinum Sueffanum, MONUMENTUM **HS.** EX TESTAMENTO. Sed impressores nonnulli signum vitiarunt, utpote qui HS. C. C. T. D. D. imperitissime fecerunt. Terna vero millia hac ratione signata conspiciuntur in antiquissimo codice Medicæ bibliothecæ Florentiæ, nunc ad D. Laurentii dicatæ per Clementem VII. P. M. epistola ad Caninium Salustium, quæ lib. II. incipit: *Literas à te mihi Sator, eo loco.*

**B** *Quod scribis ad me de drachmis cccliiii. notatum est de drachmis,* quod computat tribus millibus. Ac ne in quatuor millibus similiter signandis immerer, sicilicet hæc ut semel dicam, demum erit regula, ut quotiescumque sive apud Plinium, sive Livium, & alios, præcipue vero in Verrinis, I. unum inveneris duobus CC. præpositis, totidem vero II. subiectis, CCLII. interdum etiam hoc modo per X. denariam notam, CCLXX. III. *facito, nulla dubitatione impeditus.* Ubi CCLIIII. vel CCLXXX. III. Ubi CCCLIV. vel CCCLXXX. III. & millena tot similiter credas.

QUINQUAGINTA. CAP. XLIII.

Quinquaginta vero hieroglyphice per digitos indicandis, lævæ pollicem, palma tota passa, deorsum inflectes, & r. tertiæ apud Græcos literæ similitudinem effinges: non autem ut Erasmus ex depravato Bedæ codice scripsit, cum quinquaginta pellicem exteriori arcu instar Græcæ literæ *g* incurvatum ad palmam inclinabis. Sed jam ad hujus numeri hieroglyphica veniamus.

REMISSIO VEL INDULGENTIA.

CAP. XLIV.

**E**rat autem hic numerus remissioni & indulgentiæ consecratus. In veteri enim lege quinquagesimo anno cujusque obligationis remissio condonabatur: quippe si quis possessionem distragisset, recipiebat, si liber in servitutē incidisset libertatem assequeretur, indulgentiam debitor accipiebat, exul in patriam redibat.

EFFOETUS. CAP. XLV.

**P**er eos qui alterum à quinquagesimo vitæ annum excessissent, cur nonnulli effæto jam corpore, mentis quoque & ingenii debilitatem significari dixerint, non sat scio: nisi Aristotelis dicto freti sint, qui in Politicis ait, post annos III. ingenii vigorem evanescere. Unde etiam Euripides Bacchis dixerit:

*τὸ γῆρας ὑμῶν, εἰ σαρῶ, νὴν σὸς ἔχει.*  
*Cerno, senectus vestra mentem non habet.*

Atque alius non minus dicax, ait:

*Πολιά γῆρας ἀήνους, ἢ Φρονήσεως.*  
*Cani judicant ætatem, haud prudentiam,*

Sedenim ad hæc amplissimus erit alibi respondentem locus.

PLURIMI. CAP. XLVI.

**E**t hic quoque numerus, multitudinem significat, quo libenter utitur Maro:

*Quinquaginta intus famula.*  
*Quinquaginta atris immanis hiatis Hydræ.*

Nnn

Quam